

gitimatio. in Part. & Rubr. de Legitimatione per  
verum matrimon. in 5. quest. in princip. 62. Sed his non obstantibus, ego teneo contra-  
rium, imò quòd legitimetur nepos quoad ipsum  
avum Primò, quia considero, quòd legitima-  
tio, & virtus ejus non procedit favore filiorum  
naturalium, sed principali favore ipsius matrimo-  
nii: ita probat textus in dicto cap. Tanta. in  
princip. ibi dum dicit: Tanta vis est matrimonii,  
&c. Et per eum ita declarat ibi Abb. Panorm.  
1. column. in 1. notabilis. & Ancharran. 2. co-  
lumn. in princip. Præpos. 18. column. numer. 22.  
& est de mente omnium DD. ibi Anton. de  
Rosell. in tractat. Legitimation. fol. 4. versic.  
Venio ad examinandum. in princip. Undè si re-  
periantur filii superviventes, ipso jure legiti-  
mantur, similiter nepos, & omnes alii descen-  
dentes: Si verò filii non reperiantur, tunc le-  
gitimabitur nepos, & alii descendentes: quia  
cum ipsa legitimitio dependeat ab ipso ma-  
trimonio, potentia ejus omnes personas respi-  
cit, & comprehendit; & una persona deficien-  
te, legitimitio operabitur effectum suum in  
aliis. Secundò pro ista conclusione facit, quia  
de adoptione, vel arrogatione ad legitimitio-  
nem valet argumentum: Glossa, quæ est no-  
tabilis & ordinaria, in leg. 1. §. final. in gloss.  
final. in princip. 1. ff. Ad municipal. quam ad  
hoc notat Jason. in Rubric. ff. de Liber. &  
posthum. 2. column. numer. 7. Similis glossa est  
in leg. Cum adoptivis, versic. Et ideo sanc-  
imus. Cod. de Adoption. quam ad hoc commen-  
dat Bald. in eadem leg. 2. column. numer. 6. Pro  
quibus facit textus in leg. Jubemus. in fin. Cod.  
de Natur. liber. quem ad hoc notat Bald. in  
leg. 1. Cod. de Jure aureor. annulor. 2. column.  
prope fin. & isto argumento utuntur Bald. & DD.  
in leg. Si te parens. Cod. de Suis & legitim.  
liber. Imò plus juris debet esse in legitima-  
tione, quàm in adoptione, vel arrogatione;  
quia filius legitimatus habet naturalia primor-  
dia, quæ non habet adoptatus, vel arrogatus,  
secundùm Bald. in dict. leg. Si te parens. Cod.  
de Suis & legitimis liber. & favorabilior est  
legitimitio, quàm adoptio, vel arrogatio, se-  
cundùm eundem Bald. in leg. Nec absens. in  
fin. ff. de Adoption. Sed bene potest quis adop-  
tare, vel arrogare in nepotem, dato, quòd  
numquam habuerit filium, vel si habuit, mor-  
tuo est: textus in leg. Adoptare. ff. de Adop-  
tion. textus in leg. Adoptiones non solum. eod.  
titul. textus in §. Licet, Institut. eodem. Ergo  
in casu nostro per contractum matrimonii le-  
gitimetur nepos, licet filius jam sit mortuus.  
Tertio pro hac sententia considero noviter  
textum in dict. capit. Tanta. dum dicit: Ut qui

antea sunt geniti, post contractum matrimonium  
legitimi habeantur. ubi probatur, quòd bene-  
ficium istius textus non restringitur solum ad  
filios naturales, sed extenditur ad omnes alios  
ascendentes ex eo: Ergo licet aliqui eorum  
reperiantur mortui tempore contracti matrimo-  
nii, bene legitimantur qui sunt vivi. Quar-  
to facit textus in leg. Si filium. ff. de Gradib.  
ubi habetur, quòd si quis adoptavit, vel ar-  
rogavit aliquem in filium, filio legitimo jam  
mortuo, talis filius adoptivus videtur frater  
alterius filii legitimi jam defuncti. Quintò sin-  
gulariter facit: quia in materia fictionum ista est  
regula valde notabilis, quòd sufficiunt extre-  
ma habilia circa rem, vel causam de qua prin-  
cipaliter agitur, vel fingitur, non verò requi-  
runtur in his quæ in consequentiam veniunt,  
& tanguntur: argumento textus in leg. 1. Cod.  
de Captiv. & in leg. penultim. ff. de Suis &  
legitim. heredib. & istam theoreticam ponit Bar-  
tol. in repetit. leg. Si is qui pro emptore. ff.  
de Usucapion. 7. column. versic. vel dic. cla-  
rius. & 16. column. versic. Dicendum est ergo,  
& ibi alii DD. præcipue Jason. 25. column.  
num. 340. Sed in nostro casu principaliter agi-  
tur de matrimonio, & circa illud principaliter  
versatur fictio; ergo sufficit quòd extre-  
ma sint habilia respectu ejus: Incidenter verò  
agitur de legitimatione filiorum; idè respectu  
eorum non requiruntur extrema habilia: &  
pro hac facit bene textus in leg. Si filium. ff. de  
Gradibus.

Et in expresso istam sententiam tenet So-  
cin. licet non ita bene fundet, in leg. Gal-  
lus. §. Si ejus. 2. column. in med. de Liber.  
& posthum. Præpos. in dict. cap. Tanta. 18. co-  
lumn. 14. question. num. 24. Alciat. in tractat.  
Præsumption. in 1. part. 20. column. & ibi ejus  
additionator. Et confirmatur ex notabili doc-  
trina Bartol. in leg. Gallus. §. de leg. Vel-  
leia. final. column. in ultim. quest. ff. de Li-  
ber. & posthum. ubi tenet, quòd bene po-  
test quis legitimare per rescriptum Principis  
nepotem spurium post mortem patris sui: &  
ibi tenet communis opinio DD. præcipue Ja-  
son. penultim. column. num. 15. tenet etiam An-  
ton. de Rosell. in tractat. Legitim. fol. 66.  
versic. Modo viso de causa. 2. column. nu-  
mer. 9.

63 Item quæro: Si quis habet filium na-  
turalem ex concubina, & postea habuit le-  
gitimum, & naturalem ex uxore legitima; qua  
mortua, contraxit matrimonium cum concu-  
bina, & per consequens legitimatur talis fi-  
lius naturalis, cum medium matrimonium non  
obstat, ut supra dictum est; an talis filius le-  
gi-

gitimatus succedat in Regno, vel majoratu,  
qui de necessitate debet venire ad primogeni-  
tum; an verò succedat, & præferatur filius le-  
gitimus, & naturalis secundò genitus? Et vi-  
detur quòd filius naturalis legitimatus præfe-  
ratur: Primò, quia matrimonium contractum  
cum concubina retrahitur ad tempus quo  
habuit accessum ad concubinam, ut in dict.  
cap. Tanta. cum similib. & ibi communis opi-  
nio: Si retrahitur; ergo quoad omnes effec-  
tus, argumento textus in leg. Prior. ff. Qui  
potior. in pignor. habeant. text. in leg. Necessa-  
rio. §. Quòd si de pendente. ff. de Pericul. & com-  
mod. rei venditæ. Confirmatur: quia quando  
lex inducit aliquem actum fictum loco alterius  
veri, intelligitur tribuere actui ficto omnes ef-  
fectus qui resultarent ex actu vero: ita pro-  
bat textus in lege Lege cornelia. ff. de Testa-  
ment. & ibi expresse notat Frac. de Aret. in 1.  
notabili. Confirmatur: quia si contrarium dice-  
remus, & iste filius naturalis legitimatus non  
succederet, sequeretur quòd certo tempore, &  
quoad aliqua esset naturalis, & quoad alia es-  
set legitimus; quòd est impossibile, argu-  
mento Glossæ ordinariæ, & eorum quæ ibi  
notantur, in cap. Cum inhibito. §. 1. de Clan-  
destin. desponsat. Secundò facit textus in Au-  
thentic. Quibus mod. natural. efficiunt. sui. cap.  
Reliqui. collat. 7. ubi dicitur, quòd filius na-  
turalis legitimatus habet quòd consequitur om-  
nes illas successiones, quas haberet si esset le-  
gitimus, & naturalis, idem probat textus in  
cap. 11. §. Adoptiones. in fin. ejusdem Authent.  
facit bonus textus in leg. Qui in Provincia. §. Di-  
vius. in fin. ff. de Ritu nuptiar. Et in expresso  
istam sententiam tenebat Guillelmus Accursius  
Doctor antiquus, quem refert Joan. Andr. In  
regul. Sine culpa. de Reg. jur. in 6. 10. column.  
in fin. versic. Ad solutionem. tenet etiam & fir-  
mat Collectar. in dict. cap. Tanta. Qui filii sint  
legitimi. 1. column. num. 3. tenet etiam expresse  
Bartol. si est ejus lectura, in Authent. Quibus  
modis natural. efficiuntur sui. capit. Tribus. fi-  
nal. quest. Felin. in cap. Prudentiam de Officio  
Delegati. 3. column. num. 9.

64 Sed his non obstantibus, ego teneo con-

trarium, imò quòd præferatur filius legitimus,  
& naturalis natus ex legitima uxore. (e) Primò,  
quia in filiis, & descendantibus jus successio-  
nis competens in bonis parentum est considera-  
bile etiam in vita eorum, & est quædam spes  
probabilis, tam de jure naturali, quàm positi-  
vo: text. in leg. Scripto. ff. Unde liber. text.  
in leg. Cui ratio. ff. de Bon. damnator. text. in  
leg. In suis. ff. de Liberis & posthum. text. in  
leg. 1. §. Qui sunt in potestate. ff. Si quis omis-  
sion. testament. text. in §. Sui. Institut. de Hæ-  
redum qualitate & differentia. text. in §. Sui.  
institut. de Hæredib. quæ ab intestato defer. &  
tradit Bartol. & Doctor. in leg. 1. §. Si impu-  
beri. ff. de Collation. honor. & in leg. 2. ff. Si  
à parente quis fuerit manumis. & in leg. final.  
ff. de Liberis agnoscend. & in leg. Post emanci-  
pationem. §. Illud. ff. de Liberation. legat. &  
in leg. 3. Cod. de Jur. & fact. ignorant. tra-  
dit etiam Bartol. notabiliter, & melius, in leg.  
Is potest. ff. de Acquirend. hereditat. 2. column.  
in fin. & facit autoritas Pauli ad Galatas, ca-  
pit. 4. ibi: Si filius, ergo hæres. & facit quòd  
habetur Levitic. capit. 25. Ergo in nostro casu  
illud jus successionis statim fuit quæsitum filio  
ipsi legitimo, & naturali; quòd sine ejus facto,  
vel culpa ab eo auferri non potest, ut in regul.  
Id quòd nostrum. ff. de Regul. jur. Secundò  
principaliter facit: quia legitimitio est quædam  
natalium restitutio, ut in Authent. Quibus mo-  
dis natural. efficiunt legitim. cap. Si quis sanè  
versic. Liceat igitur. collation. 6. ibi: filios res-  
tituere naturæ. Sed restitutio numquam trahi-  
tur retro in præjudicium alterius, & juris sibi  
quæsitum, ut probat textus notabilis in leg. 2. &  
in leg. 4. ff. de Natalib. restituend. text. in leg.  
Etsi. alias Ait, 7. §. Sed quòd Papinianus. ff. de  
Minor. text. cum ibi notatis, in leg. final. Cod.  
de Repudiat. heredit. & tenet Glossa notabi-  
lis ordinaria in leg. Gallus. §. Et quid si tantum.  
in verb. Emancipatus. in fin. ff. de Liber. & pos-  
thum. & ibi Bartol. 4. column. numer. 2. Bald.  
Paul. Imol. & communiter DD. Et in expres-  
so, quòd legitimitio non trahitur retrò in præ-  
judicium alterius, probat textus notabilis in  
dict. Authent. Quibus modis natur. effic. legitim.  
cap.

(e) Hanc sententiam sequitur etiam Molin. de Promogen. lib. 3. cap. 1. numer. 7. ubi commu-  
nentem, & tenendam in judicando, & consulendo testatur: Gutierrez in §. Sui. numer. 192. cum  
verb. Siguiete: Gregorius in leg. Glossa magna post medium titul. 13. part. 4. Dueñas reg. 350.  
limit. 14. Spin. in Speculo testament. gloss. 15. principal. num. 26. cum pluribus aliis, quos re-  
fert, & sequitur Matienz. in leg. 10. glos. 3. num. 7. qui fundamentis Covarrub. in 4. 2. part.  
cap. 8. num. 28. & Menchac. contrarium tenentium, latè satisfacit.

Anton. Gomez. *Commentarii.*  
 cap. Si quis sanè. versic. Liceat igitur collat. 6. ibi: & suos de cetero sub potestate habere. textus etiam in cap. Sit igitur licentia. ejusdem Authent. ibi: & hoc facto exinde filios sui tali solatio. & notat Angel. in §. Si quis verò non habens. ejusdem Authent. Ergo in nostro casu ista legitimatio, quæ fit per subsequens matrimonium, non trahitur retrò in præjudicium filii legitimi, & naturalis, & juris sibi jam quæsiti; maxime quòd ista legitimatio principaliter procedit favore matrimonii, ut supra dixi: Sed ibi concurrunt illud primum matrimonium; ergo in ejus damnatione, & præjudicium non debet fieri legitimatio, sed primum semper præferatur in omni jure, & effectu succedendi matrimonio, argumento textus qui bene in proposito facit, in leg. Assiduis. §. I. versic. Exceptis. Cod. Qui potior. in pignor. habeant. Tertio principaliter facit textus in cap. Si pro te. de Rescript. lib. 6. ubi, si alicui prius sub conditione mandatur provideri de præbenda, vel beneficio vacaturo, & alteri secundo pure, qui secundus pendente conditione primi receptus fuit; ille præfertur, licet postea verificetur conditio, & primus etiam receptus sit. Quarto notabiliter facit text. in cap. Quamvis. eodem tit. de Rescript. lib. 6. ubi, si Papa concessit alicui gratiam, per quam mandabatur sibi provideri in certa Ecclesia de beneficio vacaturo, & talis gratia fuerit revocata, & alteri concessa; licet postea primus fuerit ad gratiam restitutus, non præfertur secundo cujus erat quæsitus; quia ejus restitutio debet intelligi sine præjudicio tertii: facit etiam textus in cap. Si apostolicæ. de Præbend. lib. 6. Quinto facit textus in leg. Quoties. Cod. de Rei vindication. ubi habetur, quòd semper ille est potior in aliquo jure, in quo concurrunt traditio, & qualitas prælationis: ergo in proposito nostro præferatur filius legitimus, quia in eo prius concurrebat qualitas legitimatis, & per consequens jus successionis. Sexto pro hac sententia facit: quia in decisionibus causarum potest allegari æquitas, & ratio naturalis tanquam lex scripta: textus est valde notabilis in leg. Scire oportet. §. Sufficit. ff. de Excusation. tutor. ibi: Cujus fidem sufficiat firmare ex ipsa naturali justitia. quem ad hoc commendant Jacob. Cin. Bald. & alii Doctores antiqui: illum etiam textus ad hoc notat Bald. in leg. Cum in antiquioribus. penultim. column. Cod. de Jur. deliberand. textus in leg. Cum ratio. ff. de Bonis damnat. cujus verba sunt: Cum ratio naturalis quasi lex quedam, &c. & ibi notant Alber. & alii Doctores. Item facit, quia ratio nihil aliud est secundum Philosophos, quam

adæquatio veritatis ad intellectum: Item etiam facit secundum Aristotelem, quòd querere legem ubi est ratio naturalis, est infirmitas intellectus: Sed in nostro casu, & quæstione mulier nobilis, vel quælibet alia legitima reperitur graviter decepta, si filius ejus legitimus non succederet, cum alias non contraheret; si alter naturalis legitimatus deberet succedere in majoratu, & præferri filio legitimo: Ergo talis filius legitimus, & naturalis succedat, & præferatur filio naturali legitimo.

Et in expresso istam conclusionem, scilicet, quòd præferatur filius legitimus, tenet Joan. Andr. in capit. Tanta. Qui filii sint legitimi. 1. column. post princip. & ibi Anton. penultim. column. Card. 2. column. num. 5. Ancharran. penultim. column. numer. 12. Præposit. in capit. Per venerabilem. §. Quod autem. eodem tit. ubi planè loquitur, 17. column. numer. 32. Joan. Andr. latius, & notabilis quam alibi, in Regul. Sine culpa. de Regul. jur. in 6. 8. column. vers. Secunda etiam principalis quæstio Dominici. in capit. Si pro te. 2. column. numer. 7. de Rescriptis. lib. 6. & ibi Ancharran. in fine. Jacob. de Bellovisu in Authent. Quibus modis natural. efficiunt. sui. §. Tribus. 1. column. versic. Queritur Jacob. Butr. in leg. Quoties. Cod. de Rei vindic. 1. column. post princip. & ibi Bald. 2. column. num. 6. Salic. 2. column. num. 11. Paul. 2. column. numer. 4. Jas. 9. column. num. 40. tenet etiam Rainer. Angel. & Joan. de Imol. in leg. Cum decem mihi. §. final. ff. de Solution. Alber. in leg. Cum quis penultim. column. Cod. de Natur. liber. idem Alber. in leg. final. 1. column. Cod. ad Macedon. idem Alber. in 1. Prefation. Digestor. §. Discipuli. fin. column. penultim. quæst. tenet etiam Angel. in leg. Gallus. §. Et quid si tantum. fin. column. ff. de Liber. & posthum. & ibi Paul. penultim. column. Alexand. penult. column. Jas. 18. column. numer. 77. Platea in fin. Instit. de Nupt. 2. column. princip. Tenet etiam latè & notabiliter Anton. de Rosell. in tractat. Legitim. fol. 90. versic. Restat. Mattheus de Laude, in tractat. de Primogenit. 2. fol. 32. & 33. quæst. Joan. le Cirier. in tractat. de Primogenitur. 14. quæst. princip. Summa Sylvestrina in verb. Filii. numer. 15. Cifuentes in leg. 40. infra his legib. Taur. 1. quæst.

66 Quibus præsuppositis, dico, quòd talis filius legitimatus per contractum matrimonii, vel per rescriptum principis, habetur in omnibus, & per omnia pro legitimo, & succedit parentibus ab intestato, vel ex testamento ex quovis alio titulo, imò, quòd magis est, habet

bet jura suitatis, & omnes ejus effectus, sicut verè legitimus: istud est singulare & unicum dictum Bald. in leg. Eam quam. Cod. de Fideicommiss. 1. column. in fin. quòd dictum dicit unicum, & non alibi Jason. in leg. Qui se patris. Cod. Unde liber. 4. column. num. 112. idem Jason in leg. 2. ff. de Vulgar. 15. column. in princip. num. 20. Pro qua sententia & conclusione facit tota rubrica, in rubro, & nigro, in Authent. Quibus modis natural. efficit. sui. collat. 7. & in specie text. in cap. Et quoniam. variè. ejusdem Authent. ibi: Nihil dissimilis legitimis. textus in cap. Reliqui. eodem. ibi: Damas habere etiam successionem illam quam habent hi qui ab initio legitimi sunt. Quæ jura ad hoc considerat Corne. in leg. 3. Cod. de Jure deliberand. 21. column. num. 17. textus in Authent. Quibus modis natural. efficiunt legitimi. cap. Sit igitur licentia. ibi: Ut sub potestate ejus consistant, nihil à legitimis filiis differentes. textus in dict. versic. Liceat, ejusdem Authent. ibi: Et suos de cetero, & sub potestate habere, textus in leg. Cum quis in fine. Cod. de Natural. liber. ibi: Omnes filios suos in potestate suis existere genitoribus. textus notabilis in §. Quibus Instaur. de Heredit. quæ ab intestat. defert. ibi: Heredum suorum jura nanciscuntur, quem ad hoc consideravit Jason. in Rubric. de Liber. & posthum. 3. column. num. 10. (f) Ex quo infero, quòd tali filio legitimo debetur Legitima: Item, quòd si sit præteritus, habet jus dicendi nullum de jure civili, & bonorum possessionem contra tabulas de jure prætorio; & si sit exhæredatus, habet quærelam: & denique habebit omnia illa remedia contra testamentum patris, quæ habet filius legitimus, & naturalis, ut est textus expressus in Authent. de Incestis nupt. cap. Dubitatum. in fin. collat. 2. hoc nedum quando erat jam legitimatus tempore testamenti, sed etiamsi legitimetur postea; nam rumpitur ipso jure testamentum, tanquam agnatione, vel nativitate sui hæredis: de quo articulo plenè, & notabiliter per Modernos, præcipuè Jason, ubi melius quam alibi tangit in Rub. ff. de Liber. & post. 2. & 3. col.

67 Advertendum tamen, quòd hoc clare procedit non extantibus aliis filiis legitimis, & naturalibus: sed eis extantibus, est dubium, an cum eis succedant legitimi? In quo articulo breviter dico, quòd si sunt legitimi per subsequens matrimonium, tunc bene succedunt cum eis; quia inter eos nulla est differentia. (g) Si verò sunt legitimi per rescriptum Principis, tunc dico, quòd si in rescripto continetur, quòd sint legitimi etiam extantibus legitimis, & in eorum præjudicium, (quòd Princeps facere potest, cum possit per legem, vel rescriptum diminuerè legitimam,) succedunt cum eis: (h) Alias verò, si hoc non dictum est, non possunt succedere cum eis, nec talis legitimatio eis aliquòd præjudicium facit, quia præsumitur, quòd si Princeps sciret, & non legitimaret: ita expressè tenet Jacob. de Bellovisu in Authent. Quibus modis natural. efficiunt. sui. in princip. 2. column. versic. Queritur. & Salic. notabiliter in Authent. Item sine. Cod. de Naturalib. liber. in princip. licet corruptè allegetur, Item si quis. Et hoc apertè voluit Hostiens. in cap. Tanta 2. column. in princip. Qui filii sint legitimi. Tenet etiam notabiliter Anton. in cap. Per venerabilem. eod. tit. 13. column. in medio. num. 15. & ibi Abbas. 6. column. num. 17. Tenet etiam Paul. in leg. Gallus. §. Et quid si tantum. de Liber. & posthum. penult. column. num. 16. & ibi Are. in 13. column. num. 26. & ibi Jason. 19. column. num. 79. ubi dicit hanc communem opinionem: Paul. in leg. Ex facto. in fin. de Vulgari. Jacob. Albarot. in cap. 1. §. Naturales. Si de feudo fuerit controversia inter donat. & agnat. 2. column. num. 4. An. on. de Rosell. in tractat. Legitim. fol. 97. versic. Modo videamus. 2. column. num. 3. Verum tamen est, quòd aliqui Doctores summæ auctoritatis tenent contrarium, imò quòd non possit Princeps de plenitudine potestatis legitimare ut succedat cum legitimis, quia videtur contra jus Divinum, quo caveatur; non enim erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ, ut habetur Genes. cap. 21. & transumptivè in cap. Dicit aliquis. 32. quæst. 4. & in Epistola Pauli ad Galatas,

(f) Eandem sententiam tenet Ripa in leg. Si unquam. in Rubric. num. 86. de Revocand. donation. Tiraquell. hoc la è probans in dict. leg. Si unquam. verb. Su ceperit liberos. num. 63. Chasaneus in consuetud. Bu gundie. Rubric. 7. §. 1. fol. 228. column. 4. num. 7. Dueñas Reg. 350. lib. 5. Recopil. gloss. 1. num. 123.

(g) Id etiam defendit Aceved. in lib. 10. tit. 8. lib. 5. Recop. num. 24.

(h) Idem tene Tell. in leg. 12. Tauri, num. 13. & 14. Matienz. alios referens in leg. 10. titul. 3. lib. 5. Recop. gloss. 2. num. 2. & vide Costam latè de hac quæstione agentem in §. Et quid si tantum. 1. part. num. 133.

tas, cap. 4. ubi si filius, ergo heres per Deum: Ex quo fundamento & ratione ita tenet Andr. Iser. in dist. cap. 1. §. Naturales. Si de feudo fuerit controversia, column. num. 4. licet in ejus lectura corrupte sit allegata illa rubrica. Sed ad hoc potest responderi, quod illa auctoritas potest, & debet intelligi, quod spurcius non succedat sine legitimatione; Item & secundo, quod Princeps potest diminuire legitimum filiorum, ut in hunc modum, in 68. Unum tamen est, quod eo casu, quo talis filius legitimatus potest succedere cum legitimis, non poterit cum pater meliorare in tertio, & quinto per contractum, vel ultimam voluntatem, imò nec poterit succedere in plus, quam succedat filius legitimus, qui in minus succedit: ita probat textus singularis, & unicus in jure in Authentic. Quibus modis natural. efficiunt sui. cap. Et quoniam variè collat. 7. ibi: Ita tamen, ut non amplius habeat uno horum qui ab initio legitimi sunt, & inter omnes minus habeat, & ad hoc illum textum dicit singulariter Angel. & unicum Bald. in cap. Per tuas, de Major. & obed. 1. column. num. 3. & per illum textum ita etiam tenet Jason. in leg. Gallus, §. Et quid si tantum, de Liber. & posthum. 2. column. num. 91. similis tamen textus est in leg. Communem. §. Et quoniam. Cod. de Natur. liberis (i.). Sed ego teneo contrariam sententiam, imò quod possit meliorari, & in plus succedere, sicut verè legitimus: argumento textus in Authentic. Quibus modis natural. efficiunt sui. cap. Reliqui. collat. 7. textus in Authentic. de Incestis nuptiis. cap. Dubitatum. collat. 2. textus in Authentic. Quibus modis natural. efficiunt legitimi. cap. Sit igitur collat. 6. Nec obstat textus in dicto. §. Quoniam variè. Quia intelligitur in legitimatione per oblationem Curiae, quia in eo coarctaretur successio, ut patet ex sequentibus.

Item adde, quod si tempore legitimationis pater non habebat filios legitimos, & naturales, & postea illos habuit, de jure communi tales filii legitimati indistinctè succedunt cum aliis legitimis, & naturalibus postea habitis: ita probat textus notabilis in l. Si te Parens. Cod. de Suis, & legit. liber. per quem ita tenet ibi Bald. & communis opinio: tenet etiam Spec. in tit. de Succession. ab intestat. vers. Sed ex facto. n. 31. & Alber. in Authent. Licet. Cod. de Natural. liber. Te-

(i) Vide Molinæum in consuetud. Pariens. tit. de Materia feudali. §. 8. gloss. 1. num. 46. Socin. in leg. Gallus. §. Et quid si tantum, num. 28. & ibi Jas. num. 108. & Constam. ibid. 1. part. num. 137. cum sequentibus, Matienz. in leg. 7. tit. 8. lib. 5. gloss. 4. num. 2. & quæ addidi ad num. in additione B. ibi, imò etiamsi esset, &c.

net etiam notabiliter Anton. de Butr. in cap. Per venerabilem. Qui filii sint legitimi. column. 15. num. 18. & ibi Abbas 7. column. num. 30. illam etiam tenet conclusionem notabiliter Bartol. in leg. Ex facto. ff. de Vulgar. & pupil. 2. column. num. 3. Bald. in fin. Angel. 1. column. num. 3. Imol. 3. column. versic. Extra glossam. Alexand. ibi 3. column. num. 20. Jason. ibi 4. column. num. 15. qui dicit hanc esse magis communem opinionem: Andr. de Iser. in cap. 1. §. Naturales. Si de feudo. Fuit controversia inter dominum, & agnatum. in 2. column. num. 5. Summ. Sylvestr. in part. Filii. num. 14. Anton. de Rosell. in tractat. Legitimationis. fol. 99. versic. Ultimo quero. num. 25. Confirmatur, quia actus legitimationis fuit perfectus, & consummatus tempore habili; unde postea non irritatur. Contrarium expressè probat textus notabilis in leg. Ex facto. ff. de Vulgar. & pupil. in princip. ubi, si pater qui habebat filium puberem, & majorem mutum, impetravit à Principe, ut possit ei pupillariter substituere, & sic pro eo testari, & postea talis filius mutus duxit uxorem, & procreavit filium legitimum, statim censetur revocata talis licentia Principis, & per consequens ipsa substitutio pupillaris, quam pater fecit, quia videtur cessare causam per quam fuit talis licentia patri concessa, scilicet quia filios non habebat: & per illum textum ita tenet ibi Dinus, quem referunt Bartol. Alber. & DD. Guido de Suza, quem refert Joan. Andr. in addit. ad Speculum Institut. de Success. ab intestat. versic. Sed ex facto. Oldrad. singulariter in consil. 247. column. 2. Paul. de Castr. in leg. Ex facto. ff. de Vulgar. & pupil. in fin. & ibi Aretin. 4. column. num. 8. Guid. de Suza, Alber. & alii DD. antiqui in leg. Tale pactum. §. final. ff. de Pactis. quoad honores verò, & alios effectus non irritatur prædicta legitimatio secundum eos. Et licet opinio Bartoli esset magis communis, tamen hodiè approbatur, & confirmatur opinio Dini & sequatium tanquam magis æqua, per leg. 12. infr. his legibus Tauri, ubi expressè disponitur, quod non succedant cum filiis postea natis ex legitimo matrimonio, vel cum filiis legitimatis per subsequens matrimonium, licet quoad alia remaneat legitimatio valida, & quoad succedendum agnatis, & cognatis.

Item

69 Item adde, quod tales filii legitimati per subsequens matrimonium, vel per rescriptum Principis, succedunt indifferenter omnibus agnatis & cognatis patris, vel matris, & succedunt eis ab intestato, & ex testamento, sicut veri legitimi: (k) Ita probat textus in Authentic. Quibus modis natural. efficiunt sui. cap. Reliqui. collat. 7. textus in cap. Illud. versic. Si quis ergo, eodem tit. textus in capit. Et quoniam variè, eodem tit. Neque obstat textus in Authentic. Quibus modis natural. efficiunt sui. cap. Filium vero, collat. 7. Quia tantum loquitur in filio legitimatione per oblationem Curiae, non aliàs: & ita tenet Bart. in Authentic. Quibus modis natural. efficiunt sui. cap. Tribus. collat. 7. idem Bart. in Authentic. de Incest. nuptiis. cap. Dubitatum. collat. 2. Specul. notabiliter in tit. de Succession. ab intestat. versic. Quid de Legitimatis per Principem, numer. 21. Anton. de Butr. qui notabiliter loquitur in cap. Per venerabilem, Qui filii sint legitimi, 15. column. num. 17. & ibi Abbas 7. column. numer. 28. Jason. in leg. Si is qui pro emptore, ff. de Usucapionib. num. 264.

70 Item quero, si Rex vel Princeps ad instantiam patris legitimavit filium naturalem, hoc pacto, vel clausula apposita, ut non possit succedere, nisi in illa portione, quam pater velit sibi relinquere; an valeat talis legitimatio, vel non? Et videtur quod non; imò, quod illa modificatio ipso jure tollatur de medio, & remaneat legitimatio valida, pura, & perfecta, ut filius legitimatus succedat tanquam verè legitimus, ac si talis clausula non esset apposta: Primò, quia sicut filius legitimus, & naturalis non potest dici legitimus quoad quid, & quoad quid non; ita nec filius legitimatus, quia aliàs esset quid impossibile, argumento textus in capit. Per venerabilem, §. 1. Qui filii sint legitimi, & Glossa ordinaria, & ibi communis opinio in cap. Cum inhibitiò, §. 1. de Clandestina despons. Secundò facit textus notabilis in leg. Si tibi, 34. ff. de Adoption. ubi dicitur, quod non potest quis adoptare, vel arrogare filium alterius usque ad certum tempus, sed illud tempus subducitur de medio, & remanet adoptio, vel arroga-

tio simplex, & perfecta: & ad hoc notat Glossa ordinaria; licet communiter Doctores intelligant, quod imò vitietur totus actus adoptionis. Tertio facit, quia non potest quis esse in duplici statu contrario: textus est in leg. Si pariter, in fin. ff. de Liberali causa, text. in leg. 1. versic. final. Cod. de Latin. libert. tollend. Confirmatur etiam, quia non potest pater filium suum emancipare quoad unum actum, secundum communem opinionem in leg. 1. §. Hoc autem, ff. Ad Trebell. Quarto facit, quia pactum appositum contra substantiam alicujus actus, vel contractus, vitiatur, & tollitur de medio, text. est in leg. Cum præcario, ff. de Præcario: text. in leg. Cum manu sata, in fin. ff. de Contrahend. emptio.

Sed his non obstantibus, contrarium est tenendum; imò quod talis clausula, & modificatio posita in legitimatione valeat, & teneat, & non subducatur de medio. (l) Sed illa non est propriè legitimatio; sed potius quædam dispensatio, quæ potest fieri quoad quædam, quoad quædam non, argumento text. in cap. 1. de Filiis natis ex matrimonio ad morganaticam contracto, in lib. 2. Feudorum, text. in leg. 2. Cod. de Jure aureorum annullorum, text. in leg. Si ab eo, Codic. de Legitimis hæred. text. in leg. Cum ex oratione, ff. de Executione Tutor. Et in expressò istam sententiam tenet Anton. de Butr. in cap. Per venerabilem, 14. column. in princip. versic. Sed est dubium an pater. Qui filii sint legitimi: Paulus de Castro, qui notabiliter loquitur in leg. Pactum dotale, Codic. de Collationib. final. column. & question. & ibi Alexand. 2. column. numer. 5. Jason. 2. column. in medio, Philipp. Dec. 5. column. numer. 14. idem Paulus notabiliter in Rubric. Codic. de Jure aureorum annullorum, 1. column. num. 5. idem Paul. post Angel. de Perus. in leg. Si ab eo, Codic. de Legitim. hæredibus, idem Paul. in leg. Solet, ff. de Jurisdiction. omnium Judicum. Socin. singulariter, in Rubric. ff. de Liber. & posthum. 1. column. & ibi Jason. 33. column. versic. 2. notabiliter limita, Alexand. in leg. 1. §. Hoc autem, ff. Ad Trebell. final. column. num. 9. Georg. Nota in cap. Quamvis pactum, de Pactis, lib. 6. column. 2. num. 3.

Ex

(k) Vide Tell. idem probantem in leg. 12. Tauri, numer. 43. Castell. ibidem, verb. O los otros parientes, Joann. Lup. de Palacios, rubric. 40. & 46. & 47. Cifuent. num. 4. Matienz. in leg. 10. tit. 8. lib. 5. Recopilat. glos. 7. num. 2.

(l) Item tenet Dec. consil. 338. numer. 3. Chassan. consil. 39. numer. 67. Curtius Senior consil. 37. numer. 6. prope fin. Alciat. in leg. 2. princip. numer. 51. de Verborum, cum multis quos refert, & sequitur Matienz. in leg. 10. tit. 8. lib. 5. Recopilat. glos. 1. numer. 4. Tell. in leg. 12. numer. 21.